



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

III. Haereticorum supplicia Catholicae Ecclesiae magis nocuerunt, quam  
pro fuerunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

Spiritus S. cæstro sive enthusiasmo quodâ percussî videbantur. Quid multis; Ioannis illius Baptistæ, in deserto pœnitentiam prædicantis personâ præ se ferbât. Quibus super ceteris vigilandi cura demandata erat, si quando eis, occurrerent, nuru aut oculi nictu quid vellent indicabant. Quin ex solis gestibus suos agnoscebant, ut olim gladiator ille, qui ex sola elegantia retrocedendi eos qui è schola sua prodissēt, à ceteris facile distinguebat. In hac externa modestia iidem nihil quam humilitatē & obedientiâ ostentabant, non crudelitatem, sed patientiam, non occidendo, sed moriendo doctrinam suâ se confirmare velle professi: sic ut veteres illi Christianorum mores. & primitivæ Ecclesiæ innocentia in eis revixisse, adeoque cum Reformatione illa aureum sæculum rediturum videretur.

III. Rogi interea passim accensi viscebantur. Sed quemadmodum ex una parte iustitiæ ac legû severitas in officio populum continebat; sic eorum qui ad supplicia ducebantur, & qui vitam citius quam opiniones suas eripi sibi pariebantur, incredibilis pertinacia multos in stuporē dabat. Quis enim nō miretur, simplices mulierculas ultro tormēta subire, ut fidei suæ dent experimentū, & ad mortē ductas, Iesū Christū Salvatorē in clamare, ac Psalmos cantillare? Virgines ad acerbissimos suppliciorū cruciatus alacrius quā ad lectū nuptialē properare; Viros terribili conspecto suppliciorū apparatu, gaudio exultare, & semiustulatos ex ardente rogo ipsi suppliciorum auctoribus illudere, candentiū forcipum lanarius in domito animi robore atque alacri vultu sustinere, omnes deniq; acerbissimorū dolorum fluctus inter carnificum manus, tam quā rupem immotam excipere atque elidere, atque ita velut i. qui Sardoam herbam comederunt, ridentes mori? Tristitia sane illa incredibilis constantiæ spectacula non simpliciorum modo, verum etiam gravium virorum animis non exiguum scrupulū iniecerunt: quum credere non possent, malam eā causam esse pro qua illi tam alacriter mortē subibant. Alii miseris condolentes, indignatione cōtra persecutores exardecebant: & si quando nigricantes illos palos, catenis innexos, suppliciorum testes, aspicerent, à lachrymis temperare sibi non poterant, ipso corde eū oculis cōplorante. Inde multos desiderium cepit eorū libros legendi, & Fidei fundamenta cognoscēdi, à qua ne exquisitissimis quidem cruciatibus avelli eos posse videbant: quūque ea in re nullo alio quā proprii sensus & iudicii ductu uterentur, facile nonnulli in errorē abrepti sunt

cas opiniones quæ primæ occurrissent, mordicus amplexi, ita animo impressas ut nullo tormentorū aut suppliciorum metu obliterari possent. Quid multis? quanto plures igni addicebantur, tanto plures ex eorundem cineribus renasci videbantur.

Bonum virum, Dei amatē & Catholicæ religionis observantissimū sæpe narrantem audivi, quum puer adhuc nescio quē hominē de schola, Vindocinū nomine, Aginni ad fluminis ripā cremari vidisset, se & multos alios tam tristi atque inusitato antehac spectaculo magnopere fuisse attonitos ac confusos: ut qui persuadere sibi nō possent, quia is qui moriens solū Iesum Christū in ore habebat, solū Iesum Christū invocabat, injuste ad mortē esse damnatus. Memini quū Annas Burgus Parisiensis Senator Lutetiæ ignis supplicio esset extinctus, totā civitatē ejus cōstantia obstupuisse. Nos quidē à supplicio reversi, in Collegiis nostris tanti hominis morti illachrymati fumus, ejusq; jã mortui causam disceptavimus, nō sine execrationibus in Iudices illos injustos (sic enim nobis persuaseramus) à quibus ille iuste erat condēnatus. Hujus sane quā ex ipso rogo habuit, una oratio, plus Catholicæ Ecclesiæ detrimētī attulit quā centū Ministri afferre potuissent. Equidē sic existimo, quā primū oborta sit hæresis, expedire forte Auctorē publice supplicio affici & medio tolli, ut alii unius aut paucorū exēplo sapientiores facti, ab ejusmodi contagione sibi caveant. Sicut enim viperarū morsus non nisi earundē cineribus sanari potest; sic quæ Hæresiarum, genimina viperarū, dant vulnera, nulla re melius quā eorundē cineribus curantur. Quāvis enim Ioannis Hussi publice cōbusti supplicii discipulorū animos multo magis accenderit atq; efferarit, quorū tanta fuit erga magistrū reverentia, ut etiā terram ubi crematus ille fuerat, secū asportarint, quum cineribus in profluentē abjectis potiri non possent. fatendum tamen est, Bohemiæ regis ignavia hæresi illi præcipuā crescendi ac multa in regno crudeliter ac nefarie patrandi occasio dedit. Alia ratione optimus noster rex Philippus Augustus quondā usus est, qui Cottereatorū in Gallis & Flandria Anno M. CXXVII. ut Annales nostri testantur, natam hæresin, simul & semel radicitus extirpavit. Idē Albigenes tam legibus quā armis persequens, omnes fere ad internecionē delevit. Quando malum aliquod invaluit atq; inveteravit, publica illa & tristitia iustitiæ exēpla periculosa admodū ejus tollendi sunt remedia, ut quibus incendia sæpius excitentur quā restinguantur.

Varia

Varia illa in diversis locis Christianæ Reipublicæ ædita spectacula materiam suppeditarunt duobus illis spissis voluminibus, Gallica lingua sub *Martyrologis* nomine Genevæ apud Crispinū impressis; itemq; aliis quibusdā, uni Latina à Foxo, alteri à Pantaleone Germanica, itemq; alteri ab Adriano quodā Anglica lingua conscriptis: qui libri omnes mille falsitatibus & imposturis referti sunt. Hac materia Historia istorū hominū Ecclesiastica tumet, in qua nihil frequentius occurrit quā mors si-ve supplicium unius ex obsecratis illis, qui miserabili desperatione in falsā salutis spē abrepti, vitę suę nimis quā prodigi fuerūt, sic lamētabiliter descripta, ut fieri vix possit quin legentiū animi cōmiseratione quadā moveantur. Apud Fevardenciū in Dial de Par. Minister quidā sic loquitur: Equidem negare non possum, me in libris istis legentē quā constanter illi pro Evangelii veritate & divini nominis honore mortē oppetierint, nō posse nō eorū virtutē admirari, & ad religionē sequendā provocari. In his libris cōfusus cernas omnium feræ sectarū homines, Wiclephistas, Hussitas, Lutheranos, Zuinglianos, Calvinistas, Bucenarios, & quos non? qui tamen publicis scriptis se invicē infamant, & mille injuriis ac conviciis proscindunt, dū alii alios, hæreticos, Antichristi præcursores appellāt, ut superius notavi, si tamen omnes si in sua hæresi mortui fuerint, martyriū Iesu Christi albo sine ulla differentia adscribūtur. Atqui aliā fuisse martyriū in primitiva Ecclesia mentē, Eusebius testatur, dicens, si quando Marcionista aut aliquis alius hæreticus cū eis ad supplicium duceretur, rogatus ab eis licētores, ne sanguinem suum cum illorū sanguine confundi, aut nomina cum illorum nominibus in idem album referri paterētur. Lutherani certe indigne admodum ferre hodieq; videmus, suos eidē Categorię seu Prædicamento cum ceteris sectis esse adscriptos. Et We stphalus contra Lascū scribens, Gallię nostrę martyres, abominabiles diaboli Martyres appellare nō dubitat. Apud Calvinistas vero nihil interest unde martyres isti, si-ve ab Oriente si-ve ab Occidēte veniant. Omnes promiscue Dei vocantur filii, & veri martyres, modo Ecclesię Catholicę repudiū miserint. Parum refert quid quisq; credat, modo Romanū detestetur Pontificē. Eiusmodi hominū de persecutione gloriatiū infelicitatē S. Aug. deplorat, ut qui nō propter veritatem patiantur, sed à diabolo mendacii patre possideantur; & qui quō vivant ut mali, ac moriātur ut scelerati, ut martyres tamē honorentur. Cy-

prianus vero inquit, Etiam si propter Iesu Christi nomē eiusmodi homines occisi fuerint, crimē tamen eorū ac rebellionem purgari non possē. Neq; enim qui in Ecclesia non sit, martyre appellādum. Et idem Augustinus eum qui extra Catholicā est Ecclesiam, etiam si baptisatus sit, & propter Iesu Christi nomen occidi se patiatur, negat salvari posse. Quid vero Calvinistę nostrī? Ex Wiclepho S. Stephanum protomartyrem faciunt: quem tamē Lutherus cōplures & diabolicas blasphemias docuisse testatur. Et Melanchthon V Wiclephi libros se legisse inquit, sed in uno de Cœna Domini articulo multos crassissimos errores deprehendisse, ex quibus quo spiritu afflatus fuerit, facile appareat. Addit: Eundem quid fides sit nescisse; & S. Scripturę dicta inepte confundere atque allegare.

Verum quidem est, hæreticos, etiā omnium deterrimos, pro veritatis defensione cruciatus ac mortē ipsam sustinere posse: ut si Anabaptista quis à Turcis captus, & ut Iesum Christum natum & crucifixum abneget sollicitatus, etiam acerbissima tormenta & cruciatus subire maluerit, pœnā quidem, non tamen martyrium passus dicetur. Quia enim cum veritate illa quam confitetur, & pro qua sanguinem suum effundit, falsitates quædā & errores cōmisti sunt; pœna illa martyrium dici non potest, nec ad salutem quidquā prodest: siquidem ut nulla communicatio est lumini cum tenebris, sic veritas cum mendacio nihil commune habet. Nā & ipsum bonum ex mali admistione contagionē trahit: & foedus odor suavē corrumpit: & mendacium quod veri admistum habet, destruit ac perdit. Quod si martyrium quod exfortes Ecclesię ob articuli alijus veritatem subeunt, non modo nullā utilitatē habet, sed etiā velut prælibatio quædā est futurorum in æternum sustinendorum cruciatuum: quid de iis dicemus, qui ut propria cerebri sui cōmenta defendāt, mortē patiuntur? Nec sane mirum adeo videri debet, quod pro iis non minus alacriter quā alii pro veritate mortē oppetunt, quum sua quisq; commenta, ut Epictetus ait, non minus quā liberos ex se natos amet, & sua cuique nō cupido tantum, sed & opinio, Deus fiat. Quin etiam ingenii nostri fetus tanto ardentius quam liberos amamus, quanto anima corpore est præstantior. Idemq; docet Epictetus, facta mortalium quæ vulgo mirari solemus, ex alta firmaque persuasionē mentis, quā prolepsin Stoici vocant, proficisci: nec aliquid posse fingi tam arduum, tam durum aut dirum, quod non intrepide & constanter det effectui, si-ve vir,